



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

An, quando aliqua ex expositis est falsa? paragrapho 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

§. IV.

Quando ex pluribus causis propositis aliquis est falsa.

1. Distingendum hic est. Nam, quando præsumitur ex circumstantiis, à prudenti expendendis, Pontificè motum fuisse ex utraq; indivisibiliter lumpa, nulla est dispensatio, quia tunc corrumpitur veritas causæ Pontificem moventis. At verò, quando saltem una est vera, eaque ejus est generis, ut spectata ordinaria consuetudine, & praxi dispensandi, judicatur sufficiens causa motiva (nec solum impulsiva) ad dispensationem obtinendam, non vitabitur a fortè dispensatio quavis alia sit falsa, quia tunc jam adest sufficiens causa.

Exemplum. Proposuit Curialis duas causas, alteram, quia cum prædicta Antonia copulam habuit Antonius consanguineus; alteram, quia eadem diffamata est in Civitate ob suspicionem copulæ. Certè existente veritate dictæ suspensionis, & diffamationis, quamvis falsum fuerit, intercessisse copulam, valida fortè erit dispensatio; quia prædicta diffamatio solet esse sufficiens causa ad dispensationem. Dixi bis (fortè) propter dicenda mox n. 3.

2. Adverte diligenter duo. Primò, invalidam fore dispensationem, si aliud ex circumstantiis colligatur. Exemplum sit illud, quod affect Corduba apud Dianam. b Semel negavit cuidam Pontifex dispensationem ob illam causam suspensionis copulæ: Curialis autem, ut dispensationem obtineret, addidit falso, adfuisse copulam: undè concessa fuit dispensatio. Ajo, illam invalidè fuisse concessam, quia clarè colligi debuit, Pontificem ad solam copulam attendisse, cum repulisset jam illam aliam, nempe copulæ suspensionem.

3. Adverte Secundò, cum Castropalao, o semper scrupulosum esse, velle sustinere vaio-rem dispensationis in casu veritatis unius, & falsitatis alterius causæ. Ratio est clara, quia quisnam potest, etiam probabiliter, scire, Pontificem, cui proponuntur duæ causæ, altera vera, altera falsa (præsertim, quando gravior est falsa, quamvis alias sufficiens) quis, inquam, sciet, Pontificem absolutè motum fuisse à vera, non autem à falsa? Solum igitur tunc veram esse doctrinam num. 1. datam ego, & Castropal. & fortasse etiam Auctores

modo pro ipsa citati, judicabimus, quando illa causa falsa proposita, est de re extrinsecè pertinente ad materiam dispensationis, & quæ Pontificem ad illam dispensationem concedendam, movere non soleat, quod est dicere, quando prudenter judicatur, falsam esse solam causam merè impulsivam.

§. V.

Quando dua simul dispensationes petuntur, altera cum causa vera, altera cum falsa.

1. Tertius duo à Summo Pontifice postulavit, alterum, ut Votum suæ Castitatis dispensaretur, alterum, ut posset consanguineam ducere, pro Voto autem allegavit causam mendacem, veram pro consanguinitate; Quoniam vero utramq; dispensationem obtinuit, nunc querit, an utraque sit invalida, an solum prior? Et idem querit potest, quando pro una dispensatione tacuit, quod erat necessarium ad substantiam dispensationis, pro alia explicuit?

2. Respondeo, Si dolosè se non gessit, sed per solum errorem, seu ignorantiam non valde crassam, Titius falsam rationem pro Voto assignavit, d erit valida dispensatio pro d Cast. l. consanguinitate, quia non est ratio cur ipsa c. num. 5. valida tunc non sit; At, si per dolum, & e Idem ib. malam fidem, vitabitur e utraque dispensatio in casu nostro; quia cum utraque ordinetur ad eundem finem Matrimonii, Pontifex non præsumitur alteram concedere ei, qui circa alteram, in ordine ad eundem effectum, dolosè se egit.

Dico, in casu nostro, in quo dispensatio ordinatur ad eundem Matrimonii finem: Nam, si petiisset, atque impetrasset dispensationem Voti v. g. & irregularitatis, causamque etiam mala fide falsam allegaverit pro Voto, veram pro irregularitate, quia hæc dispensationes sunt ad valde diversos fines, & in rescripto dispensationis, ut supponimus, una non concedatur dependentè ab alia, erit valida, f quoad irregularitatem, at invalida, pro Voto.

Cast. l. c. n. 7.